



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118316

§. 158. Consilia Cardinalis Castellonei de ritu Ambrosiano commutando.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66426)

Sæcul. XV. ut eam Cælitum fastis adscriberet, rogatur; quæ tamen res usque ad Pauli tempora differebatur. Hic vero die vigesima nona Martii Anno Domini millesimo sexcentesimo octavo eandem Senatorum Virginum albo inseruit, ac edita Bulla ejus festum die nona Martii celebrandum præcepit.

§. CLVIII.

Consilia Cardinalis Castellonei de ritu Ambrosiano commutando.

Eodem anno vix non exeunte Castelloneus Cardinalis, Nobilis Mediolanensis, & Placentinus Episcopus, qui etiam Abbas erat Monasterii S. Ambrosii Mediolanensis, animo constituit Officium Ambrosianum in hac urbe recitari solitum abrogare, & Romanum introducere; Hunc in finem primo illinc Monachos Cistercienses, qui in ejusdem Abbacia collocati erant, ejecit, ac loco eorum Carthusianos introduxit. Sed cum ea re Mediolanenses offensi, ad Ducem recurrisent in graves effusi querelas, is Carthusianos ex templo abire jussit, additis etiam minis, se monasterium eorum contrematurum, si morem gerere detrectarent. His ergo parere compulsis, Cardinalis, primis suis consiliis incassum abeuntibus, aliam viam tentavit: atque

Præ-

Præposito Ecclesiæ S. Theclæ repetiit Sæcul. XV.
 Codicem ritus Ambrosiani ejus custodiæ A. C. 1440.
 concreditum, nec non in festo Natalis
 Domini rem divinam Romano ritu in Al-
 tari majori celebrari curavit. Vix Cives
 rem compererant, cum protinus tumul-
 tum excitare, ad Cardinalis ædes cum
 facibus turmatim convolare, & vivum sese
 eum combusturos ingeminare, nisi Co-
 dicem restitueret. Hisce territus Car-
 dinalis, se e fenestra demisit, ac altera
 die Mediolano discessit, firmiter statuens
 se nunquam amplius eo reversurum, quod
 & factum: tertio quippe abhinc anno su-
 premum diem suum clausit, nonagenario
 major. Ex quibus colligere licet, quan-
 to zelo Mediolanenses suos ritus, eorum-
 que auctorem S. Ambrosium venerentur.

§. CLIX.

Concilium Frisingense in Germania.

Hoc item anno in Germania celebra- *Labb. Col-*
 tum reperitur Concilium Frisingen- *lest. Conc. to.*
 se, quod Nicodemus de Scala ejusdem *13. p. 1283.*
 urbis Episcopus, ac ex Familia Veronen-
 sium Optimatum ortus convocaverat.
 Historicorum testimonio compertum ha-
 bemus, ab eodem Nicodemo Joannem
 Nothum de Bavaria ex consensu Martini
 V. Sede episcopali deturbatum fuisse.
 Porro in hac Synodo viginti sex condi-